



Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1859

XXII. Weddego und Henning von Wedel bestätigen und erweitern die Rechte ihrer Stadt Neu-Freienwalde, die einen Theil ihrer Kriegsschulden dafür übernimmt, am 12. März 1338.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55359)

XXII. Wedego und Henning von Wedel bestätigen und erweitern die Rechte ihrer Stadt Neuen-Freienwalde, die einen Theil ihrer Kriegsschulden dafür übernimmt, am 12. März 1338.

In nomine domini amen. Ne igitur per maliciam uel obliuionem Rei geste tollatur memoria sagax hominum subtilitas adinuenit, ut ea, que fiunt laudabiliter, literali testimonio perhennentur. Hinc est, quod nos wedego et henningus, famuli et fratres, quondam domini Wedegonis militis pie recordacionis filii, de wedele dicti, vniuersis tam presentibus quam futuris presens scriptum ratione comprobacionis visuris seu auditoris Recognoscimus lucidissime protestantes, Quod nos ex maturo consilio nostro et nostrorum fratrum patruorumque, videlicet hassonis militis et gotfridi, necnon senioris hassonis et frederici, dictorum de wedele, eorundemque vnanimi consensu, nostre dilecte ciuitati noue wrienwaldis pro nostro profectu et dicte ciuitatis utilitate has omnes liberalitates et iustificaciones subscriptas perhennis temporibus duraturis condonauimus graciose. Primo scilicet, quod pro tributo et exactione nobis centum talenta duplici termino, videlicet quinquaginta festo walburgis et quinquaginta in festo martini immediate sequenti ciues nostre ciuitatis supradicte dabunt annuatim indilate: et ex hoc nostra dicta ciuitas habet quatuor choros siliginis in molendinis perpetue ibidem libere possidendos. Item predicta ciuitas habet censum de subscriptis vniuersis: primo de tredecim mansis in metis dicte ciuitatis situatis; item habet censum intra ciuitatem dictum rvedepning de curiis habitantium in eadem; item supra dicta nostra ciuitas habet censum nominatum vulgariter wordetyns de centum iugeribus et quarto dimidio iugere, de quolibet pro censu annuo solidum denariorum vsualium tollerando (sic); item nostra ciuitas predicta habet proprietatem et libertatem in omnibus sibi necessariis sub metis eius contentis, scilicet lignis, pascuis et pratis, aquis et stagnis, sic theotunice nominatis grote staritz, luteke staritz, kotzavil, lyzowe et noua piscina ante nostram mericam posita vsque pontem svakebruche et krampil, a merica vsque ad riuulum dictum holebeke cum omni vsu, utilitate et fructu libere perhenniter optinendo. Et hiis bonis omnibus cum nostris heredibus et successoribus presentibus renunciamus et in nostram ciuitatem Wrienwaldis et eius ciues cum omni iure transferimus supradicta. Item vnanimi consensu nostrorum fratrum et patruorum prescriptorum nostroque prenarrate ciuitati nostre dedimus et nostris ciuibus constitutionem hanc noue prerogatiue et iurisdicionis, ut quicumque villanorum terre vchtenhaghen, kerkow, wrienwaldis et zweryn bona predictorum ciuium accomodauerit et si termino perfolucionis debite non perfoluerit et in ciuitate repertus fuerit, coram nostro prefecto et scabinis antedicte ciuitatis ad iudicium trahatur satisfaciendo debitis pro eisdem, exceptis nostris prefectis et vasallis. Sed si quis prefectorum predictorum in fideiussione uel accomodacione arbitratus fuerit secundum suum arbitrium iudicialiter satisfaciet quacunq; eciam contradictione non obstante. Item illud arbitrium, a nostro patre domino Wedegone dicte ciuitati datum, uolumus obseruare, ut testimonium suorum virorum fidedignorum et juratorum stabit ad iuris complementum pro racionabilibus debitis et non pro dampnis extorquendis. Item si contingerit aliquem ciuium excedere contra alium uoluerando ipsum aut occidendo et generaliter omnes cause ciuium debent coram nostro prefecto et scabinis nostre ciuitatis secundam formam iuris brandeburgensis finaliter terminari, ita quod nullatenus a nobis vel ab aliquo successorum nostrorum dicti ciues ad alium iudicem aut iudicium pertrahantur. Hec autem singula, ut a nobis et a nostris heredibus et successoribus dictis ciuibus irreuocabiliter obseruentur, presens scriptum nostris sigillis et nostrorum fratrum ac patruorum nostrorum cum

testibus subscriptis duximus communiendum, Quia harum libertatum gracia de nostris debitis rationabilibus in guerra contractis mille marcas cum trecentis marcis denariorum dicti ciues nobis defalcarunt. Testes huius dominus Johannes, ibidem plebanus, iacobus krummel, ludolphus melentyn, wyller holste, hinricus klokow, peter brumunt, conradus snelle, hennigus spenyng, paulus bomgarden, henze zylbur et quam plures alii fidedigni. Datum per manus domini martini, dicte ciuitatis vicarii, Anno domini M^o CCC^o XXX^o octauo, ipso die gregorii confessoris et pape.

Nach dem Original im Besitz der Stadt Freienwalde in Pommern.

XXIII. Markgraf Ludwig gestattet denen von Günthersberg die Wiederaufrichtung des von ihm gebrochenen Schlosses Rabenstein, am 12. Oktober 1338.

Nouerint etc. Quod nos Ludouicus et Stephanus, fratres, licentiauius strenuis viris Walthero, Gunthero, militibus, Luttege Gunthero, Iona, hertwico, matheo, henningo et copkino, filiis Volcekens, Henningo, Konstel et copkino, filiis suis dictis de Gunthersberg, ex mera mentis nostre beniuolentia, vt castrum Rabensteyn, quondam per nos defolatum et destructum, reedificare poterint, dum voluerint, et munire munimentis, prout ipsis videbitur conuenire, dummodo castrum dictum butowe, quod ex consensu nostro prius edificauerant, per ipsos dissoluatur penitus et rumpatur. Debebunt etiam ipsi cum dicto castro et ceteris suis munitionibus prope netzam vel alibi habitis vel habendis et suis pertinentiis contra quemlibet, cuiuscunque conditionis existentem, illustribus principibus ducis Wartizlai filiis, auunculis nostris dilectis duntaxat exceptis, sine dolo perpetue parere et a nobis tenere in iustum feudum et legale. Tenebimur etiam ipsos, vt castrum quondam iporum dictum vzt a Polonis conquistum, consequantur et rehabeant, per placita, si potuerimus, adiuuare, et ipsos fouere manue tenere contra quoslibet ipsis iniuriam vel violentiam inferentes vel inferre volentes pro nostris viribus et iporum iuribus fideliter defendere. Non debebunt etiam ipsi polonos quovismodo inuadere, nisi de nostro consensu fuerit et beneplacito voluntatis. In cuius etc. Testes vt supra. Datum Kungesberg, anno domini M. CCC. XXXVIII, feria secunda ante Galli.

Aus einem Copialbuche des Geh. Staatsarchives (I. C. 4 in quarto).

XXIV. Markgraf Ludwig erläßt der Stadt Nörenberg zu ihrer bessern Befestigung auf 5 Jahre ihre Abgaben, am 8. December 1338.

Ludouicus etc. consulibus et uniuersitati ciuitatis nurenberg etc. egestatem et inopiam, quibus vos perplexos et oneratos iam dudum fore cognouimus, respeximus et pretendere volumus